

Concilium Phæbi, Phæbi
doctumque sororum parnassi
nuper celebratum colmine

• • •

Riisberg, Severinus,

1 Ic 1690 Hahn, Petrus



National Library
of Sweden

Concilium Phœbi, Phœbi doctumque Sororum
Parnassi nuper celebratum culmine sacro.

Quò

*Vir præclarus, fulgens & in orbe Sopherum,
Tempora docta nitens lauru simul ipse*

Magister **PETRUS HALLI**

Excellens physicæ celebrisque Professor
Palladii, lato quod cursu floret ad Auram,

MAGNIFICI retulit RECTORIS nomen & omen,
Pubis & Auricæ moderamina justa per annum
Assumpsit, tota Pindi plaudente corona.

*Prodidit incultâ quod vena Palladis unus
Cultorum Divæ*

SEVERINUS nomine **RIEBENS.**

1670





Nsolutò latè siderea splenduit aula
Lumine, fulgebant undique tecta jovis,
Per numeros omnes sua gaudia coelica
turba
Explicat, ipsa sonat nil nisi læta domus.
In medio Divū grandes sub pectore curas
Versanti similis, Delius ipse sedet.
Mox tetricos vultu amplo mirante senatu
Arcada Pennigerū blandior ipse vocat,
Et simul amplexus, simul ad Doctasque Sorores
Ire Jubens, solvit talibus ora modis:
Atlantis facunde nepos, tu magne Deorum
Nuncie, per cœlum Jura solumque tenens,
Qui Manes cogis, tu qui commercia mundo,
Numine grata tuo solus utrique facis.
Vade celer germane, citis delabere pennis
Ad sacra Parnassi culmina nota tibi,
Repperies media nunc hæc sub Parrhasis urfa,
Hic tu Pierides jam residere scias.
Alloquere has fratris verbis, mandata per auras
Tu pariter celeres hæc mea defer eis:
Oebalios rursus fratres Sol orbe reliquit,
Et medios Cancris nunc subit ipse lares.
Auspiciis latis in se nunc volvitur annus,
Et redeunt Musis tempora grata suis.
Qveis murandus honos, alii qveis sceptraque danda
Annua, Palladii cura que justa gregis.
Non igitur segni vos Musæ cernite curâ,
Vestri quis tanto dignus honore chori.
Huic fasces vestros, huic & deferte secures,
Hujus sint rutilâ membra tegenda Toga.
Hæc est summa mei dicti germane, fidelis
Hujus ad Aonias nuncius esto Deas.
Dixerat: at Maja genitus Latonia iussa
Exequier properat, nil patiturque moram.

Aurèa

Auræa quin pedibus nectit talaria circum,
Dat galeam capiti, virga manuqve nitet,
Sic medium findit calum velocior Euro,
Flammigeris Phœbi candidiorqve jugis.
Donec apex summus Parnassi cernitur ipsi
Eminus, ac Sacris templa dicata Deûm.
Castalides cinctæ nitidissima tempora Laurus
Corde premunt varium, res agitantqve graves.
Hic se demisit primùm Cyllenius altô,
Et toto præceps corpore fertur humum.
Tangit ut alatis plantis Heliconia Tempe,
Sic subitô doctas aggrediturqve Deas:
Mnemosyne natæ quæ vos oblivio rerum
Cepit vestrarum? quæ mora lenta tenet?
Ipse Sacrà Divum me vobis misit ab arce
Delius, hæc jussit dictaqve ferre sua:
Tempus adest solitum, liquit Sol Tyndare natos,
Octipedis Cancri brachia curva tenet.
Annua nunc vestri rursus mutanda Lycæi
Jura, simul claves, splendida sceptrâ, toga.
Nunc humeros alium tantæ fas subdere moli,
Et grave ferre simul, quod nequit unus, onus.
Vos segnes, vos ergo moras citô rumpite, vestri
Sumite mox dignum præcipuumque chori;
Justis qui pubem vestram moderetur habenis,
Sub quo vestra nitens stet, vigeatque salus.
Hæc simul ut dixit roseo Caducifer ore,
Castalidum visus, ceu levis aura fugit.
Lumina at Hæc tollunt, oculis numenqve sequuntur,
Quod cernunt, æer non nisi mollis erat.
Ergô Dei monitis, tanto imperioque parere
Approperant Phœbi, mox loca quæque capit.
Calculus at variis studiis demissus in urnam,
Nil certi signat, stabile nilque notat;
Namq; hærent, dubitantq; Deæ, tum murmure longum.

Disceptant dubio, cui sua scepra dabunt.
Quin etiam votis tandem Latonius Heros
Sedibus è superùm poscitur ipse Sacris,
Ut divâ litem dextra componeret, ulla
Quam non mortalis solvere digna manus.
Ergo grauis Phœbo demum sententiadicta,
His concepta modis, his numerisque sonans:
Luce quid Aonides tam cæcutitis in alta?
In claris strepitus quid sibi tantus erit?
En est à primis mihi vel notissimus annis,
Vir dudum vestro clarus in orbe satis,
HMH nitidâ famæ contingens sidera laudæ,
Invidiam gestis vel superùmque ciens.
Hunc mea vota volunt Mula fulgentia vestri
Magnificâ dextra sumere scepra gregis,
Sit Ductor vester, Socius sit Palladis almæ
Præfectus summus sit Laribusq̃ meis.
Dixerat: Aoniæ plausu fremuere Sorores,
Dixerat, ac dictis docta corona favet.
Ter pedibus terram quatunt, ter júbila spargunt,
Ter feriunt lati sidera celsa soni.
Membrasimul nitido mox HMH velamine cingunt,
Injiciunt rutilam mox humerisq̃ Togam.
Plausibus intereà geminatis gaudia produnt,
Sæpius ac repetunt hosq̃ subinde sonos:
I, cape jam dignas tandem Vir maxime Laurus,
Magnum Magnifici nomen & omen cape.
Sume pares vastis fructusq̃ laboribus, æquos
Indue jam titulos tot meritisq̃ tuis.
Tu moderare gregem justis jam Rector habenis
Palladium, nostro præficere choro.
Cælitus ipse dabit vires tibi Rector Olympi
Huic curæ pariles, huic onerisque gravi.
Cumq̃ satur demum fueris his orbis amaris,
Aternis saties te dapibusq̃ Poli.